

E libris

gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii directore

a. 1857 hereditate relictis.

C. q. 14.

74
1592-1774

A6

SIGISM. FRIDER. DRESIGII
A. M. ET SCHOL. THOM. CONR.
EPISTOLA
ANIMADVERSIONES
IN FABRI THESAVRVM
COMPLECTENS

QVA
VIRO
CLARISSIMO ATQUE AMPLISSIMO
DOMINO
ADAMO HENRICO DRESIGIO
ARTIVM MAGISTRO
MVNIA
CORRECTORIS IN LYCEO
LVCCAVIENSI
DEMANDATA
GRATVLATVR.

LIPSIAE
EX OFFICINA LANGENHEMIANA
CIOCC XXXVIII.

SIC MORS TRIDIBI HINCIS
VITI SCORPIONIS
TROGLO
VANIS DERRA
IN TUBRI THESAM
COMPLICEA

7150
OTRASSIMO ATQUE AMPLISSIMO
DOMINO
ADAMO HENRICO DRESEIO
ADMAT MAGISTRO

MUNI
CONSIDORIS IN ETCO
LACVATURSI

PTASANDA

PTAIA

Z DILEXIA LAVONI
COSMOS

VIR CLARISSIME,

Postequam mibi renuntiatum est, TIBI, VIR CLARISSIME, ab amplissimo Senatu Luccauensi munus Correctoris in Lyceo, quod ibi floret, cunctis suffragiis demandatum esse, sane pro eo ac debui hunc nuntium animo laetissimo accepi, ususque mibi sum in partem TIBI delati honoris venire. Nam cum proxima TE cum, PATRVELIS OPTIME, cognatione me coniunctum esse sentio, tum consuetudo inde usque a condiscipulatu culta necessitudinis cuiusdam religionem menti meae inicit, ita ut nihil sollicitus cauendum mihi iam diu statuerem, quam ne uiderer sanctissimae rei memoriam deposuisse. Huc accedunt communia studia, quae prout ab humanitate nomen habent, sic ipsum consanguinitatis vinculum humanissima sua copula quam longissime uincunt. Quae dum apud animum perpendi meum, non tam uoluntatem mibi innatam, quam necessitatem quandam impositam animaduerti, TIBI, VIR CLARISSIME, prouinciam Deo auspice datam etiam atque etiam gratulandi. Huic uero officio meo satis facturus, dubius omnino sum, utrum TIBI, cui munia Correctoris in Lyceo Luccauensi demandantur, an ipsi Lyceo, cui praeficeris, maiori iure gratuler. Nam testis est Luccauia, quam severa lege ducibus B. HECHTIO, et cui sufficeris, Amplissimo SCHILDKNECHT, communibus nostris, insque optimis praceptoribus, in optimarum artium studiis profeceris. testis est Leycorea, quantis ex Graecia et Latio copiis, in B. STRVN-ZII, uiri etiam nunc celeberrimi, contubernio, et in illustris BERGERI, uiri meis laudibus maioris acrostibus scientiam TVAM auxeris. testis est Philurea, arx denique Martis est testis, quam feliciter docueris atque erudiueris iuuentutem, quo munere ex sententia Ciceronis nullum maius meliusque reipublicae afferri potest. Quae quum ita sint, non possum Lyceo Luccauensi, quod et me quandam aluit, gratae mentis studio ductus de alumno redente, sed mirum quantum mutato, non optima quaeque omniari. At si caussarum, de quibus TIBI, VIR CLARISSIME, gratulandum habeo, summam facio, in eam opinionem discedo, ut, cum Lyceum Luccauense eo, quod TVA sparta se ornatum uideat, felicissimum, tum TE feliciorum praedicem. Con-

IV

tigit enim **TIBI** hoc ipso munere collato, quod paucis accidisse noui. Evidem hactenus, qua eruditione **TVA** dignam nactus es prouinciam, TE reliquis beatorem non iudico, propterea quod uirtus ipsa sibi merces est, nec alienae laudis indiget. Ea uero **TVA** est praecipua felicitas, quod, qui locus doctrinae semina iecit, idem messem repetit, quodue, quem habuisti fidelissimum praceptorum, eundem iam fidum laboris socium colis atque obseruas. Ego sane sic semper statui, nullum esse officium referenda gratia magis necessarium, at idem ego contendo, facultate et occasione referendae gratiae nihil ingenio liberali accidere posse gratius, nihil iucundius. Quid ni, **MI DRESIGI**, TE beatum praedicem, cui contigit, annis uenerabili **SCHILD-KNECHT**, quem Deus meis discipuli puta, precibus commotus quam diutissime sospitet, adhaerere, et in summa senectute animum gratum obsequio et officiis declarare, ac fiduciariam quasi operam praestare? quantae **TIBI** iucunditates obuersabantur, atque in annum redibunt, quoties locum illum celebrabis, qui adolescentiae nostrae ludus fuit humanitatis plenissimus. Hunc ergo locum faustis iam auspiciis repepe, et utiatici loco has animaduersiones in Fabri Thesaurum TE cum asporta, in quibus, non dubium est mibi, quin augendis operam per muneras rationes aliquam sis positurus. Nam ingenue fateor, hoc, quicquid attigi, nullo alio a me consilio factum esse, nisi ut, quibus uacat, materiam quandam praeverem librum scholasticae cum primis rei dedicatum tandem aliquando suis numeris absoluendi. Cum enim mibi per otum et aliud agenti non pauca sint norata, tum quauis sponsione contendem, qui data opera hanc rem suscepere, eum longe plura faciliter negotio inuenturum perperam adhuc tradita in Fabri Thesauro, quibus emendandis ipse Cel. **GESNERVS** se iam confectum queritur. Ipsam uero operam mean in emendanda diuisi et addenda, atque in illis quidem repetiti simul, quae de hac re iam dicta fuerunt in Actis Eruditorum 1735 mense Octobri p. 433. seqq. in his uero posterioribus largam ac ueluti luxuriantem segetem, quam cum Geographia, tum Historia fecerat, falce, ut ita dicam, censoria recidendam putavi. propterea quod innumeri fere loci ac populi uel ex Cellarii Geographia produci possunt, quorum licet non infrequens in optimis quibusque scriptoribus sit mentio, tamen notitiam ex Fabri Thesauro nec dum ullam haurire licet inuentuti scholasticae.

EMEN-

EMENDANDA.

ACIES. acies, n. 9, inquit Faber, pro bello et expeditione ipsa bellica interdum ponitur, der Feldzug, atque ad hunc significatum probandum primo loco assertur Cicero Fam. 6.3.4. cuius haec sunt uerba, nam est, quem exitum acies habitura sit, diuinare nemo potest, tamen et belli exitum uideo. Sed quis crebet, apud Ciceronem aciem notare bellum, quum bellum et acies sibi opponantur? rectiora docuit B. Cellarius ad h.l. qui aciem interpretatur praelium Hispaniense, quod breui posse ad Mundam commissum fuit.

ADVOCO. n. 3 hoc uerbum notare dicitur cauſas agere in foro, et testis huius notionis laudatur Plinius 5 epift. 8, interim ueniam, ne a forenibus uerbis recedam, aduocandi peto, ad quem locum Cellarius iubetur conferri. at Cellario interprete, aduocandi est moram negligi et aduocatio mora, prout ista iam exponimus in A. E.

AGASO. n. 2 apud Horat. 2. Sat. 8, 72, communiter pro seruo ponit dicitur. sed perperam, docente id Scholiaſte, Agaso is proprieſt, qui iumenta tractat, hic autem satyrice significat escarum ministrum, quem uulgo nominant infertorem, apud Ciuquium.

BENEDICO. de hoc uerbo praecipit Faber, constructur cum dativo, ſaci scriptores et cum accusatiuo iunxere. At non sfernendae Latinitatis auctiores quoque cum accusatiuo uerbum hoc posuerunt. Tibullus 2, 1, 31,

Sed bene Mefſalam ſua quiske ad pocula dicat.
ubi Broukhuiſus rectiora Fabro ita inſillat, Scaliger malebat,
Bene Maffalae, parum refert, nam utroque modo dicebant. et
deinde affert Ouidium Faſt. 2, 637,

Et bene uos, patriae, bene te, pater, optime Caesar,
Dicte ſuffuſo, ſint rata uerba mero,
addantur Ienſii collectanea purae et impurae Latinitatis ſect. 2.
P.39. et Heinſius ad Ouidium de arte amandi 1, 601. In utraque conſtructione ſubintelligendus uidetur infinitius uel eſſe uel ualere.

BENEFACTVM. Minus accurate uerba Marii apud Sallustium Iu-
gurth. c. 85, benefacta mea reip. procedunt, ad illam nominis
huius notionem referuntur, qua eſt gutthaſ, wohthaſ. nam Ma-

rius, ut ipsa loci docebit inspectio, non liberalitatem suam, sed uirtutem maxime bellicam contra nobiles suae laudis obrectatores praedicat. Ergo *benefacta* Marii sunt *praeclara facta, tapfere und Helden-Thaten.* Testem, qui explicationi meae suffragatur, omni exceptione maiorem habeo Propterium, II, 1, 24,

*Cimbrorumque minas et benefacta Mari,
Bellaque, resque tui memorarem Caesaris.*

nam poetae de rebus in bello *praeclare gestis*, non aequo uero de *beneficiis et liberalitate, sermonem esse, uerius, qui antecedit, 18 perspicue demonstrat,*

Vt possem heros ducere in arma manus.

quae quidem notio, qua *benefacta* sunt res bene gestae, ac *prae-clara facinora, ex his satis, opinor, cognoscitur, licet eius in Fabro mentio plane facta sit nulla.* Eodem sensu hanc uocem usurpauit ipse Sallustius Catil. 8, *Sua ab aliis benefacta laudari, quam ipse aliorum narrare, malebat.*

BRACHIVM. n. 7. *translate etiam, inquit Thesaurus, notat facultatem et auxilium, ut praebere sceleri alicuius brachia sua, mächtiglich beysehen.* Ouid. Heroid. 7, 126. Audiamus uero ipsum poetam, apud quem Dido inter alia ad Aeneam scribit,

Quid dubitas uincitam Gaetulo tradere Iarbae?

Praebuerim sceleri brachia nostra tuo.

Nunquam, credo, lectori Heroidum attento, persuadetur, hoc in loco *praebere brachia alicuius sceleri sonare mächtiglich beysehen.* Scelus hoc describitur in Hexametro, quod in eo erat positum, ut Dido uincta ab Aenea traderetur hosti, quare germanice haec formula ita est reddenda, *Ich hätte dir meine Hände, selbige zu binden, freywillig und von selbst darreichen wollen.* Quumque nullus sit praeterea adductus scriptor Latinus, qui *brachium pro facultate et auxilio usurpauerit, prae-ter rem ultima haec significatio tūdetur tradita, nisi melius pro-nétur, penitus proscribend.*

CAVSSA. n. 9. *caussa et morbum significat, quemadmodum et apud Graecos αίτια, vóges, seu morbus est.* Tibullus 1, 9, 51, non est illi *Sontica caussa, id est, Sonticus morbus.* His plane aliena habentur V. *Sonticus, ubi ita, Sontica caussa apud Tibull. 1, 9, 51, eine rechtmäßige Ursache.* quibus positis, duplarem huius formulae

mulae in uno eodemque loco significarum statuamus oportet.
At si ipsum locum inspiciamus, prior, non posterior est Tibulli
sententia canentis,

Neu Marathrum torque pueru quae gloria uicio?

In ueteres esto dura, puella, senes.

Parce precor tenero, non illi sonica caussa est,

Sed nimius luto corpora tangit amor.

DIA. *insula Cretae adiacens, alias Naxos.* Duea hic confunduntur insulae, quae vocatae fuerunt Diae. quorum altera Cretae adiacens, omnium consensu nunc est Standia, ut scribit Cellarius Geograph. antiqu. Lib. 2, cap. 14, p. 1039, ubi addatur annotatione tuncula Cel. Schwarpii. altera uero est una ex Cycladibus, quae Naxos etiam appellata fuit. uid. Cellarius et Schwarpius d. l. p. 1050 seqq. Itaque Dia, quando eadem, quae Naxos, non Cretae adiacet, sed in mari Aegaeo inter Cyclades sita est.

FELIX. n. 3. pro eo, qui alios felices facit. *huc trahitur Iuuinalis*
14, 312,

Quanto felicior hic, qui

Nil cuperet, quam qui totum sibi posceret orbem,
male. nam opponit Satyricus Diogenem in dolio Alexandro M.
et illum hoc iudicat feliciorem, quia nihil cuperet. Ceterum
hoc sensu *felix* habet Virgilius Aeneid. 1, 334. Propertius, 3, 11, 15,
et 4, 4, 67.

HABEO. n. 9. *rem habere cum aliquo est negotiari Terent.* Eun. 1, 2, 39
contra V. Res. n. 6, ita, *pro Venere autem sumitur, quam dicimus, Rem cum aliqua uel aliquo habere, quod notum. uid. Terent.* Eun. 1, 2, 39. qui Comicum perlustrauerit, facile mecum posteriorem sensum praeferet, quum sint uerba meretricis Thaidis.

HALCYONIVS. *Halcyonii dies Colum. u, 2, a tranquillitate mariis Atlantici ita dicti, qui incipiabant 8. Calend. Mart.* Et sane ita legitur in Columella, VIII. Cal. Martii Sagitta crepusculo incipit oriri, uarie tempestates. *halcyonii dies uocantur, in Atlantico quidem mari summa tranquillitas notata est.* Sed quoniam Plinius 10, 32 l. 47, a bruma non nisi septem diebus removet partum halcyonum et halcyonia, itaque Cel. Gesherus in nitidissima Columellae editione uerba, *halcyonii dies uocantur, unicis inclusit, putatque in subiecta annotatione glossam uerborum*

VIII

rum summa tranquillitas. quo praeeunte, nemo Fabrum ex Plinio emendandum non existimabit.

HERCVLES, qui licet esset robustissimus, aduersus hydram tamen et contra Cancrum simul nequit pugnare, sed nepotis sui Iolai implorauit auxilium, ubi quidem uero non responderet Iolaum Herculis nepotem fuisse. Filius fuit Iphicli, fratris Herculis, ut in V. *Ipbiclus*, commemoratur. hinc a Graecis uocatur *αδελφος Herculis*. uid. Palaephatus c. 39.

IMPERO. imperare sibi Terent. Eun. 2, 2, 21, *sein mächtig seyn*, explicatur in Fabro. Comici verba sunt,

*postremo imperauit egomet mihi
Omnia assentari. is quaestus nunc est multo uberrimus.
ubi sane imperare sibi non id, quod Faber uult, sed sibi propone, sich vornehmen, significat. uid. A. E.*

IMPERIVM. n. 2. *Esse cum imperio, eine verordnete Obrigkeit seyn, elegans dicendi modus ap. Ciceronem.* minus expressa germanice uidetur haec formula. nam Romanis *cum imperio esse uel mitti*, non simpliciter erat, magistratum gerere quemcumque, sed *cum exercitu in prouinciam mitti, aut ibi esse*. Diligenter hic attendendam puto differantiam formularum *in imperio esse*, et *cum imperio esse*. illa nota Germanice, *eine verordnete Obrigkeit seyn*. Cicero Fin. 1, 7, pronuntiat, *eum non tam uideri fuisse in imperio, quales eius maiores fuissent*. uid. Cicero de harusp. respons. c. 17. haec uero locutio, *cum imperio esse id*, quod antea diximus, notat. locis ex Cicerone in Fabro adductis addatur idem Manil. c. 5. et 22. Ac ne quis solum Ciceronem ita locutum forsitan sibi persuadeat, euolui meretur Caesar Civil. 1, 31, et 3, 32, ut Festum V. *cum imperio praetermittat*. Quod si altius rem penitus ipsam, obseruatu haur erit difficile, in hoc loquendi genere, nomen *imperium* non tam *magistrorum seu potestatem imperandi*, quod uult Faber, quam *exercitum prae se ferre*. praesertim quum adiunctam habeat particularum *cum, quae comitatum ex Grammaticorum praeceptis significat*. quam quidem notionem, in Fabro et Lexicis uix obuiam, infra vindicabimus *imperio*, ubi *de addendis Fabri The sauro agemus*.

NEMEA

NEMEA oppidum Arcadiae, iuxta quod sita eiusdem nominis, in qua Hercules leonem mirae magnitudinis consecit. in cuius rei memoriam postea sacra inibi Herculi et ludi instituti. a. Plin. 4, 6. ita Faber. sed oppidum, an regio, dubium, ad quod ludi Nemei celebrati quondam fuerunt, male Plinius, et eum sequutus Faber in Arcadia ponit, iudice Cellario Geogr. ant. Lib. 2, cap. 13 p. 989, qui ex Geographis antiquis docuit, Nemean oppidum nec in Elide, nec in Arcadia, sed in Argea seu Argolide situm fuisse.

GLENVS. n. 2. alia hoc nomine urbs Boeotiae, cui nomen fecit Olenus Vulcani filius. sed nulla unquam, si Geographis credendum, urbs Boeotiae dicta fuit Olenus. Fuit autem in Aetolia teste Cellario Geog. Antiq. Lib. 2, cap. 7, p. 895. nec probanda uidetur, quae ibidem n. 1. sic referuntur, Olenus Achaeiae oppidum, ubi louem ferunt educatum lacte caprae Amaltheae, quae inde dicta Olenia. nam Amalthea vocatur Olenia non ab oppido Achaeiae, sed ab oppido Aetoliae, cui Olenus Vulcani filius nomen fecit. Hyginus Astronom. Lib. 2, cap. 13. ibique Munckerus p. 378.

OPINATOR. redditur simpliciter ein Zweifler, et haec significatio assentitur ex Cicerone Acad. 4, 20, nec tamen is ego sum, qui nihil unquam falsi approbem, qui nunquam assentiar, qui nihil opinor, sed querimus de sapiente. ego vero ipse et magnus quando sum opinator, sed perperam. rectiora docuit Cel. Io. Aug.

Ernesti, mihi non magis pro fortis necessitudine, quam pro voluntate in me propensissima colendus. Est, inquit, opinator, qui rebus incertis et non perceptis, tamen assentitur, tanquam certis, ex quibus Fabri Lexicon macula non parua liberari poterit.

PES. Pedem referre. Quidius Heroid. 15, 186. zurücke treten. ita Faber. Sed quis Phaonis, de quo poetae sermo est, redditum ex Sicilia in insulam Lesbum Germanice interpretabitur per zurücke treten?

PURPURAS. n. 3. formula purpuram sumere explicatur in die Regierung treten. quo quidem sensu si accipiatur locutio, uim, quam apud autores habet, praecipuum amittere mihi quidem uidetur. nota enim Germanice, sich der Herrschaft anmassen, die Herrschaft an sich reissen, et de tyrannis, non uero imperatoribus legitime creatis tantum non semper, quod illa.

sciām, reperitur. exemplis res fiet clarior. Eutropius 9, 8, de Gallieno Augusto, iuuenis in Gallia et Illyrico multa strenue fecit, occiso apud Mursam Ingenuo, qui purpuram sumferat, h.e. interprete Cellario, imperium et Augusti bonores rapuerat. Trebellius Pollio in tringita tyrannis cap. 18, de Balista tyrranno, *Multi et sumissi illum purpuram et more Romano imperasse, exercitum duxisse, et de se plura promisso dixerunt.* quo ipso tamen non nego pro re nata sic etiam exponi posse hanc formulam, ut in Fabro traditum reperimus.

SUBSISTO. n.3. *Est et uenatorium et militare uerbum, ut, subsistere feras, subsistere hostem, i. e. excipere, nec irruenti cedere.* ubi quidem, quod ad primum attinet genus loquendi, *subsistere feras* illud omnino apud Liuium 1, 4, notat, das Wild fällen. sed nollem alteram locutionem adieclam *subsistere hostem*, i. e. excipere. nam quamvis ita per genium linguae dici posse uidetur, tamen, an ita dixerint prisci, dubium. Caesar certe de hac notione ne per somnium quidem cogitauit, qui in partes vocatur, Gall. 1, 15, *quo praetilio sublati Helvetii, quod quingentis equitibus tantam multitudinem equitum propulerant, audacius subsistere, non nunquam ex nouissimo agmine, praetilio nostros læcessere cooperant.* cui haec legenti in mentem ueniet *subsistere sonare, excipere hostem?* nonne quilibet statim intelligit, hic illum sensum habere, qui est, stehen bleiben, in Fabro n.1. traditus. ubi denique est accusativus iste, quem *subsistere hostem* formula prae se fert?

TOLLO. Aequo turpis est naevus, qui in hoc uerbo appetet n. 4. tollere risum alicui, id est, inducere ad ridendum G. faire rire, faire éclater de rire, Horat. de arte poet. u. 381, en uerba poetæ, Ludere qui nescit, campestribus abstinet armis, Indocilusque pilae, discine, trochibæ, quiescit, Ne spissæ risum tollant impune coronæ.

quo quidem in loco *risum tollere* per inducere ad ridendum, quo minus exponi possit, cum series orationis, tum Grammatices leges intercedunt. nam unde ille, qui in Fabrum hanc locutionem congesuit, sumserit datiuum, quem formulae huic adiungit, equidem non video, nisi forte credamus, bonum virum uerba spissæ coronæ non pro nominatiuo, sed pro datiuo actione cepisse, quid? quod idem hic locus recte omnino explicatur

V. Ri-

V. Risus, ubi sic, risum tollere G. éclater de rire. Horat. Art. p. u. 381. Itaque ex loco hoc posteriori, foedissima macula priori nullo negotio abstergi poterit.

VADATVS. n. 2. Sed actiue Respondere uadato, id est, ei, qui in ius uocat Horat. i, Sat. 2, 36. Vercor, ut ex hoc loco Horatii satis probari possit, uadatus etiam actiue sumi pro eo, qui in ius uocat, exhibeo uerba,

Ventum erat ad Vesiae quarta iam parte diei

Præterita, et casu tunc respondere uadato

Debebat, quod ni fecisset, perdere item.

Quid obstat, quo minus hic uadato casu accipiamus de uadimo-nio, sensu non actiuo, sed passiuo, quem uadatus alias obtinere consueuit? Certiora saltem afferenda erunt, si debeamus crede-re, uadatus quoque eum notare, qui in ius uocat.

ADDENDA.

ACCENDO. Elegans et notatu digna est notio huius uerbi, qua est apud Plinium H.N. 33, 3, quod agit de auro, *Primum bonitas argumentum est, quam difficilime accendi*, notat enim glænd werden, ut Cel. Gelserus Chrestomath. Plin. p. 852 iam exposuit. Ac fortasse haec prima ac maxime propria est huius uerbi significatio.

ACHILLEVS. Addi non incommode possunt Achilleae statuae ex Plinio H. N. 34, 5, id est, nudæ tenentes hastam. et Achilleus cothurnus, id est, tragœdia Achilles inscripta apud Propertium 2, 25, 41, ibique Broukhufius.

ACROAMA. Contendit Scioppius in Stradam p. 187, *acroama non canticum, sed ipsum histrionem*, qui in scena cantat, vel alium quempiam, qui gratum aliquem et dulcem sermonem habet, significare, quem sequutus est Vorstius de Latin. Select. p. 319, nec Faber hac in parte dissentire uidetur, certe exempla allata hunc sensum admittunt omnia. ne quis tamen *acroama* pro *cantico* prorsus inauditus iudicet, intercedit Sidonius 1, Epist. 2, nec sub Phonasco uocatum concentus meditatum *acroama* simul intonat, ubi Elmenhorstius *acroama* explicat scenicorum carmen.

AEACIVS. hic plane ignoratur adiectuum *Acacidinus*, quod habet Plautus affin. 2, 3, 25,

Siquidem hercule Aeacidinis minis animisque expletus inedit.

Parens in Lexico Plautino proverbiis inferuit, et pro grauissimus
et irarum plenissimis minis accipit.

ALIENVS. hoc nomen de mortuis quoque posuit Apuleius Metamorph. 8. p. m. 129, ubi Lepolemus a Thrasyllo interfectus ad uxorem dicit, *lancea malis Thrasylli me tibi fecit alienum, id est, interfecit, tibique eripuit.*

ALVEVS. de domo dixit Apuleius Metamorph. 4, p. 61, *nobis promte conuolantibus et domus atuo receptis.*

AVXILIVM. singularem uim huic nomini subiecit Apuleius Metamorph. II, p. 200, *Secundus uestitu quidem similis, sed manibus ambabus gerebat altaria, id est, auxilia, quibus nomen dedit proprium Deae summatis auxiliaris prouidentia.*

CALO. quac sit differentia inter *calones* et *lixas*, quos tamen scriptores minime raro coniungunt, frustra in Fabro quæsueris. nec quis eam in Lexicis instillauerit, facile succurrit. accipe ergo illam ex ueteri Scholiaсте Horatii I, sat. 2, 44, *Calones sunt ministri militum, liberi homines, lixas uero serui eorundem.*

CAMELOPARDALIS. Tantum femininum idque tertiae declinationis indicatur. sed masculinum idque secundae declinationis habet Capitolinus in Gordia, III, cap. 33.

CHARITES. dignus est, qui hic adiungatur locus Propertii 4, I, 75,
Aueris Charis in cantas.

ubi et datius terminazione Graeca et significatus probe obser-
vandus, quod ipsum sic Ouidius Amor, 3, 12, 17, expressit,
Aueris utinam tetigisse carmina Musis.

CATENA. Hoc nomen inter meteora memoratur, quemadmodum Graecum est *Halyss* eodem modo. Apuleius de mundo p. m. 11, *halyss est catena quaedam luminis clarioris per solis ambitum in se reuertens, inter hanc et Irida illud interest, quod Iris multicolora est, et semicirculo figurata procul a sole atque luna. catena clarior est aſtrumque ambit orbe incolumi, corona non discolor.*

CIRCVITVS. Idem hoc nomen etiam ualerit, quod circumitio seu ambages, *Umschweiff.* Petronius c. 13, *Exbilaratus ego non tantum, quia praedam uidebam, sed etiam, quod fortuna me a turpissima suspicione dimiserat, negauit circuitu agendum, sed plane iure ciuiti dimicandum.*

COMMENDO. Variis huius uerbi constructionibus illa uel maxime addenda uidetur, qua dicitur *commendare ad aliquem*, id est, ali-

alicui, propterea quod Germanismo nostro proxime accedit. Sic est apud Hyginum fabul. 3, cuius beneficio ad sororem Medeam est commendatus. plura ad hunc locum Munckerus, et quos hic laudat.

CONCLAMO. non tantum de multis, qui simul clamant, sed et de uno homine reperitur, et tunc est, nulde aut saepius clamare, ut Seruius ad Aeneid. 3, 523, interpretatur. Caesar Gallie. 1, 47, quos quum apud se in castris Ariovistus conspexisset, exercitu suo praesente conclamauit, quid ad se venire? an speculandi causa? ubi videantur, quae commentatur Dauies.

CONSIDO. n. 3. addendam existimare significationem, ubi de terrae hiatu sumitur. Liuius 30, 38, Cumis solis orbis minui uifus et pluit lapideo imbris, et in Veltino agro terra ingentibus cauer-nis confedit, arboresque in profundum baustae.

CONSULTO. duplex in hoc uerbo et construacio addenda est et significatio. primum enim cum accusatio eodem, quo *consul*, sensu componitur. Plinius Panegyr. c. 76, una erat in limine mora, consultare aues, reverique muninum monitus. Tibulus 1, 4, 77.

Gloria cuique sua est. me, qui spernentur amantes,
Consaltem.

Deinde cum datiuo iungitur et iterum facit paria uerbo *consu-lo cum datiuo*. Aurelius Victor Caesar. cap. 14, quin etiam ma-ribus frustratus filiae uiro reipublicae consulauit. Sallustius Ca-til. 6, Delecti, quibus corpus annis infirmum, ingenium sapien-tia ualidum erat, reipublicae consultabant.

DESIDIA. peculiarem plane significationem hoc nomen obtinere ui-detur apud Apuleium de mundo p. m. 22, audimus etiam ab-ruptis imbris prolutas esse totas regiones. illas etiam, quae prius fuerint continentes, hospitibus atque aduenis flueibus in-sulatas. alias desidia maris pedestri accessu peruias factas. nam quid hic *desidia maris?* nisi me omnia fallunt, recessum maris, et aquarum indicat. quemadmodum iam explicituit, Elmenhor-stius in indice per ἀναρχωσηις κυμάτων. quo uero sensu an hoc nomen rectius a *sido*, quam a *sedeo*, deriuetur, uideant, qui Lexica conscribunt.

DESPICIO. noxiam quoque putamus notionem huius uerbi, qua usurpauit Caesar Ciuil. 3, 8, ipse grauissima bieme in natibus ex-

tubabat, neque ullum laborem aut munus despiciens. Germanice formula despicer laborem reddi haut incommodo uidetur, die Arbeit zu geringe schätzen.

DIMITTO. eodem modo constrūtum et sensu positum hoc uerbura obseruatur, quo libero. Petronius c. 13, fortuna me a turpissima suspicione dimisera. hic enim dimittere a suspicione est liberare.

DISCINCTVS. Bono significatu adhibuit hoc nomen Horatius 2,
Sat. 3, 73,

*Virtus Scipiadae et mitis sapientia Laeli,
Nugari cum illo, et discincti ludere, donec
Decoqueretur olus, sōliti. ubi uetus scholiafest, discincti b. e.
depositis seriis, et alter scholiafest haec refert, Scipio Africanus
fertur intra domum tam ciuilis fuisse, et carus Lucilio, ut quo-
dam tempore Lælius circa lectos triclinii fugienti superuenerit,
cum eum Lucilius obtorta mappa quasi feriturus sequeretur.*

EXAUDIO. nota sunt, quae Cellarius et Borrichii de differentia audio et exaudio inter se disputarunt, qui quidem in Fabro laudantur. Interim tamen durius mihi hac de re iudicium uidetur Cellarii Cur. Pofter. p. 431. seq. *Differentia, quam pueri fingunt inter audire, et exaudire, ut illud simpliciter sit hören, hoc erbören, sive precibus annuere, nulla est. nam nisi fallor, non obseure haec ipsa differentia apparet ex Plinio Panegyr. c. 94, te præcipue, Capitoline Iupiter, precor, ut beneficiis tuis faueas, tantisque munericibus addas perpetuitatem. audisti, quae male principi precabamur, exaudi, quae pro dissimillimo optamus.*

FOCVS. Saepius hoc nomen apud poetas significat idem, quod *ara*, licet in Fabro non sit monitum. Tibullus 1, 9, 74,

*Oderunt, Pholo, moneo, fasidia Diui,
Nec prodeſt sanctis tura dediffe focis.*

Propertius 3, II, 41,

*Diique Deaque omnes, quibus est tutela per agros,
Præcebant uersis uerba secunda focis.*

uid. idem 1, 1, 20 et 4, 4, 42. Tibullus 4, 5, 4. et 2, 5, 54. Ouidius de arte amandi 1, 638.

GENERATIM. Prima huius uoculae notio præcipitur illa, quae notat, per singula genera, seu species, von Art zu Art. Sed ne sic quidem principem ac germanam significationem habere uidetur, quam obseruari in Caesare Gall. 1, 51, *Tum demum ne-cessa-*

*cessario Germani suas copias e castris eduxerunt, generatimque
confituerunt, paribusque interuallis Harudes, Marcomannos ceteri.
Graecus interpres non male reddidit *νερτὸν θύλας*. Diodoro
autem Siculo, ut ad hunc locum Vossius annotauit, dicitur
νερτὸν ἔδυος, quae satis loquuntur ueram ac propriam notionem
uocis generativi.*

GRAVITAS. hanc quoque uim habet *grauitas*, quae *constantia* seu
perseuerantiae subiecta est, die *Beständigkeit*. Propertius 2,16,14 sq.

Tu modo no dubita de grauitate mea.

Offa tibi iuro per matris et offa parentis,

Si fallo, cinis heu sit mibi uerque grauis,

Me tibi ad extremas mansuram, uita, tenebras.

GYMNASIVM. Comica est uis, quam huic nomini subiecit Plautus
Afin. 2,2,31, ubi *gymnasium flagri* est interprete Pareo, homo, in
quo uerberando se quotidie exercet dominus. uid.idem Aulular.3,1,5.

FACTURA. In hac uoce, ut in aliis bene multis, significatus proprii et
improprii non satis diligenter proponuntur. In primis autem
ignoratur notio obseruatu dignissima, ubi *iacturae sonante, largi-
tiones, munera, dona, Geschenke, Spenden*. Cicero pro Manil.
c. 23, nunc qua cupiditate homines in prouincias, quibus *iacturis*,
id est, interprete Cellario, largitionibus in eos factis, per quos
prouinciam obtinuere, quibus conditionibus proficiuntur. Cae-
sar Gall. 6,12, eosque ad se magnis *iacturis, pollicitationibusque*
perduxerant. Idem Civil. 3, cap. ultimo ad finem, sed celeriter
*et inter eos de principatu controversia orto, quae res apud militi-
es largitiones auxit, magnis enim iacturis sibi quisque eorum ani-
mos conciliabat.*

IMMORTALIS. Annotatum quidem legimus ex Varrone, hoc no-
mine Deos absolute uocatos. at non allata est notio, quae ex
hac ipsa fluit, quando *immortalis* de homine in hac uita dicitur,
notatque idem, quod *beatus*. Sic habet Propertius 2, II, 9,

Quanta ego praeterita collegi gaudia nocte.

*Immortalis ero, si altera talis erit.
et eleg. sequenti 12, uerl. 39,*

Si dabit haec multas, siam immortalis in illis,

Nocte una quiuis uel Deus esse potest.

Atque de eodem negotio eodem sensu uocem *Deus* posuit Plau-
tus Circul. 1, 3, H.

IMPE*

IMPERIVM. Supra memini me promittere, notionem huic nomini asserturum esse, qua *exercitum* indicat. qui historicos Latinos, res Romanas nobis memorantes eo, quo par est, studio perlegebit, facile concedet, infinitos paene occurtere locos, ubi *imperium* imperatorem pariter atque exercitum in se complebitur. Caesar Civil. 3, II, illi quum se contra *imperium populi Romani*, id est, Caesarem cum exercitu, pugnaturos esse negarent. Deinde per metonymiam significat iplos imperatores, qui imperium habent et exercitui praesunt. Caesar Civil. 1, 31, nati uacuas ab *imperii*, Sardiniam Valerius, Curio Sicilam, cum exercitibus eo perueniunt. nam hic per *imperia* intelligantur ipsi praefecti, qui prouincias obtinebant, Cato scilicet, Siciliam, Cotta, Sardiniam c. 30, qui uterque desperatis rebus ex prouincia, cognito militum Caesaris aduentu, profugerant. Denique haec ipsa uox quoque idem ualeat, quod exercitus. Cornelius Timol. 2, quem non odio tyrannidis dissensisse, sed cupiditate, indicio fuit, quod ipse expulso Dionysio *imperium* dimittere nuluit. Plinius Panegyr. c. II, qui hoc ipsum *imperium* peperere, quod modo bohes inuaserant, contenserantque, cuius puls fugatique non aliud magis habebatur indicium, quam quod triumpharetur. de quo loco aequae ac de hac ipsa notione *imperii* alibi iam egimus.

INCRETVS. Ex Apuleio tantum huius uocabuli usus comprobatur et quidem eo significatu, quo est, non *cribratus*, *ungeſiebt*. Melioram autem auctoritatem conciliat, et alias praeter adductam notionem subiicit eidem Horatius 2, sat. 4, 75,

*Primus et inuenior piper album cum sale nigro
Incretum puris circumposuisse catillis*

ubi Cruquius exponit *purgatum per incerniculum*.

INFELIX. Actiuus huius adiectui significatio plane non est obseruata, quum tamen haut raro sit in scriptoribus obseruanda. Terentius Phorm. 2, 3, 81,

*Ita es paratus facere me aduersum omnia,
Infelix?*

Virgilii Aeneid. 2, 245 de equo Troiano,

Et monstrum infelix sacrata fissilimus arce,

Propertius 3, 3, 29,

O prima infelix singenti terra Prometheo.

INSINO. Idem, quod *initiare*, de rebus sacris notat apud Apuleium Metam.

Metam. II, p. 208, *Per istas manus piissimis sacerorum arcannis insinueris.* Obseruanda pariter illa est huius verbi notio, qua est apud Liuium 9, 2, de proficiscentibus per angustias, quoniam uenias ad eum, intrandae primae angustiae sunt, et aut eadem, qua te insinuaueris, retro uia repetenda, aut si ire porro pergas, per aliud saltum ardorem impeditiore remque euadendum.

INSTYTUTIO. Duplicem nobis huius nominis significatum praecipit Faber. alter est, die *Lehre, Unterrichtung*, alter, das *Vorhaben*. his ex ipso Cicerone tertius addendus dicam, an praemittendus uidetur, ubi idem est, quod *inceptio seu conciliatio*, de Finib. I, c. 20, quibus ex omnibus iudicari potest, non modo non impeditri rationem amicitiae, si summum bonum in uoluptate ponatur, sed sine hoc institutionem omnino amicitiae non posse reperiri.

ITER. quemadmodum formula *uiam facere* non solum notat *uiam munire*, aperiare, uerum etiam proficisci, sic eadem est ratio locutionis *iter facere*. vulgaris et pueris nota est significatio *iter facere*, id est, proficisci, reisen, quam et Faber attulit. sed quis in Lexicis uider alterum illum significatum, quo *iter facere*, idem est, quod *uiam munire*, den *Weg bahnen*? Et tamen sic haber elegantiissimi ingenii poeta Ouidius Heroid. 20, 144,

Ad sepe alterius quis tibi fecit iter?

Idem Metamorphos. 15, 106,

Fecit iter sceleri, priuame a caede ferarum

Incaluisse putem maculatum sanguine ferrum.

et de arte amandi 2331. Huc etiam trahi posse uidetur. Liuius 44, 7.

JUDICIVM. Speciali quadam ratione nomini huic inest uis *testamenti*, quod nihil aliud est, nisi supremum de superfluitibus iudicium. Valerius Maximus 7, 7, 4, de Septicia filiis irata, *Publio seni admodum nupsit, testamento etiam utroque praeterito, a quibus aditus diuus Augustus, et nuptias mulieris et supraea iudicia improbavit.* Iustinus 5, 11, de Dario Persarum rege, regnum Artaxerxi, Cyro ciuitates, quarum *praefectus erat, testamento legavit, sed Cyro iudicium patris iniuria videbatur.*

MALEDICO. In superioribus iam annotau, minus accurate in eo factum a Fabro, quando benedicere aliquem facris scriptoribus tantum adscripsit. *Maledicere* fere cum accusatio iunctum plane non reperietur, si ex silentio Lexici fieri debet iudicium, quibus ne quis abripiatur, dabo *maledicere aliquem ex auctore*

XVIII

non sane, quod ad Latinitatem attinet, ineleganti. Petronius c. 96,
Contubernalis mea mihi faſtum facit. ita, ſi me amas, maledic il-
lam uerſibus, ut habeat pudorem.

MENENIVS. Addi non inmerito poſſe uidentur *Meneniae ſtulti-*
tiae uel ineptiae, quas tradit uetus Scholiaſtes Horatii 2, fat. 3, 287.

MISEROR. Grammaticorum eft praeceptum, ab ipſo Fabro lauda-
tum, uerba *mifereor* et *miferor*, ita diſſeſſire, ut hoc accusatiuum,
illud genitiuum regat. nec eſt negandum regulam hanc uſu scri-
ptorum probari. ſed quemadmodum nulla regula, ut eſt in pro-
uerbio, fine exceptione, ſic *miferor* etiam cum genituo, licet ra-
rius nec in Fabro traditum, reperitur, Prudentius *Psychomach.*
uerſ. 580,

Liber a nunc miferando inopum, quos larga benigne
Fouerat, effundens patrium bene prodiga cefum.

Plura huius conſtructionis exempla dabit Munckerus ad Hygi-
num p. 158.

MOLLIS. Non inueniſte hoc nomen de arcu dixit Ouidius Heroid. 4, 92,
Arcus, ſi nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

NOBILITAS. propria huius uocis significatio qua ratione ſit neglecta,
miratus ſaepe ſum, quea tamen non infrequens occurrit in optimis quibusque ſcriptoribus. nam ſicut *nobilis* proprie eft, ipſo Fabro praecipiente, beruſſen, berübt, ſic *nobilitas* germano ſenſu eft *der Ruff*, *der Rubm*. Cicero de ſeneſt. c. 21, nec me ſolum ratio ac diſputatio impulit, ut ita crederem, ſed nobilitas etiam ſummorum philofophorum et auctoritas. Cornelius Thrasibyl. c. 1, Sed neſcio quo modo, quum eum nemo anteiret his uirtutibus, multi nobilitate praecurrerunt. Plinius H. N. 3, 5, tanta nobilitas omnium locorum, quos quis attigerit, tanta rerum singularum populorumque claritas tener. uid. Salluſtius Catil. 7.

NOVACVLA. Piscis quoque ſic dictus apud Plinium H. N. 32, II, noua-
cula piſce quae tacta ſunt, ferrum olent.

NOVITAS. non curate ſatis explicita eft notio, qua nouitas opponi-
tur nobilitati, notatque *der neue Adelſland*, Salluſtius Iugurth. 85, ubi Marius de ſe ipſe, *Contemnum nouitatem meam, ego illorum ignauiam*. nam ipſe exponit in ſequentibus noua nobilitas.

ORBIS. Duae inſuper huic nomini uindicandae ſunt notiones. nam et uit-
tam orbis inſtar aram ambientem ſignificat ap. Propertium 4, 6, 6,
Terque focum cirea. laneus orbis eat,

et

et pisces apud Plinium H. N. 32, 11, durissimum esse pisces constat,
qui orbis vocetur, rotundus est et sine squamis, totusque capire constat.

PAGATE. Aureae aetati hanc particulam iam in Actis Eruditorum afseruimus Ouidio auctore ex Ponto 1, 2, 109,

*Denique si moriar, subeant pacatus arua
Offsa.*

PALMA. idem, quod palmula seu fructus palmae, eine Dattel. Ouidius Fastor. 1, 185,

*Quid uult palma sibi, rugosaque carica, dixi,
Et data sub niveo candida mella fauo?*

PASCO. Eleganter per metaphorum notat augere. Horatius 1, Ep. 18, 35,
numos alienos pascet,
id est, interprete Landino, ad foenus accipiet et augebit.

PETO. quando hoc uerbum uim rogandi sustinet, coniungitur cum praepositione *a*, cum accusatiuo uero constructum aliam plane notionem, ut notum, obtinet. Nihilo tamen feciū petere aliquem pro rogare aliquem posuit Capitolinus in Maximinis cap. 2, Imperatorem publice perit, ut sibi daret licentiam contendendi cum iis, qui iam non mediocri loco militarent. Huc an trahi possit locus Plautinus Curel, 1, 2, 61, iam non interpretor. uerba sunt,

Pessuli, heus pessuli, uos saluto lubens,

Vos amo, uos uolo, uos peto atque absecro.

POR TICVS. Hoc nomen de uinea, machina bellica, usurpauit terribilis scriptor Caesar Cuiil, 2, 2, itaque pedalibus lignis coniunctis inter se porticus integrabatur, arque hac agger inter manus profrebatur. ubi uideatur Vossius.

POSTERITAS. Significat quoque famam aqud posteros. Caesar Cuiil, L 13, proinde habeat rationem posteritatis et periculi sui. ubi conferatur Dauiis hunc significatorem vindicans cum aliis, tum Ciceronis loco Tuscul. 1, 15, uerisimile est, quum optimus quisque maxime posteritati seruiat, esse aliquid, cuius is post mortem sensum sit habiturus. nam hoc in loco nomen posteritas non sonare, die Nachkommenſchaft, quo in Fabro trahitur, sed famam apud posteros ea, quae antecedunt, confirmant, in quibus de iis agitur, qui post mortem nobilitari uolue.

FROLIXVS. Adiectiuum hoc de sermone, quod instauratores purae Latinitatis negant, dici in Actis Eruditorum probauimus ex Ma-

crobio Saturn. 3, 7. iam addimus Apuleium Metamorph. 4, p. 51, II, p. 211, et Florid. 4, p. 339.

PROMITTO. Specialis huius uerbi est usus, quando idem est, quod *uouere, geloben, eine Gelübe thun.* Tibullus, 3, 5, 33,
Interea nigras pecudes promittit Diti;
Et niuei lactis pocula mixta mero.

Iuuinalis 13, 232,

*pecudem spondere facello
 Balantem et Laribus criſtam promittere galli
 Non audent.*

uideatur Broukhuis a Tibulli locum.

QUERELA. quanquam proprium amicorum hoc nomen est, quemadmodum hoſtium accusatio, tamen *querelam* idem etiam valere, quod accusationem aut item, quam aduersarii inter ſe habent, obſeruauit in Petronio c. 15, et ſi rufico mulierique placebat permutatio, aduocati tamen, iam paene nocturni, qui uolebant pallium lucrifacere, flagitabant, ut apud ſe utraque deponerentur, ac postero die iudex querelam inspiceret. et paulo poſt, indignatur enim ruficus, quod nos centonem exhibendum poſtularemus, miſit in faciem Aſcylti tunicam et liberatos querela iuſſit pallium depone, quod ſolum item faciebat.

RECONDО. Palmaria huius uerbi significatio deeffe uidetur, qua habet Ouidius Metamorph. 4, 143,

*Ad nomen Thisbes oculos iam morte grauatos
 Pyramus erexit, uisque recondidit illa.*

hic recondere oculos, eft iterum claudere.

REPETO. n. 3. ita habet Faber, item rei, quum accuſantur de novo, repeti dicuntur, uide reus. Quodſi uocem reus euoluaſ, neulam quidem ibidem mentionem inuenies, uerbi *repetere* de reo denuo accuſato usurpati, quare a nobis accipe ſupplementum, Suetonius August. c. 32. *Diuturnorum reorum, et ex quorum fardibus nihil aliud, quam uohuptas inimicis quaereretur, nomina aboleuit, conditione proposita, ut, si quem quis repetere uellet, par periculum poenae ſubiret.* Idem Domitian. c. 9. reos, qui ante quinquennium proximum apud aerarium pependiffent, uniueros discriminē liberauit nec repeti niſi intra annum permisit. uid. Quintilianus Inſtit. Orator. 7, 8.

RESCRIBO. de militibus hoc uerbum dupliſi ſenſu ſumitur, ac primo

mo quidem idem est, quod denuo conscribere, Liuius 9, 10, in ciuitate ira odioque ardente delectus omnium prope voluntariorum fuit, rescriptae ex eodem milite nouae legiones, ductusque ad Cannum exercitus. deinde notat transcribere scilicet ex peditibus ad equites. Caesar Gall. 1, 42, plus quam pollicitus esset Caesar facere. pollicitum in cohortis praetoriae loco decimam legiōnem habiturum, nunc ad equum rescribere. ad quem locum Branius transcribere eodem sensu probat ex Valerio Maximo, quod pariter ignorat Faber.

R E S P O N D E O. Cum primis de hoc uero notari meretur locus Plautinus Captei. 4, 2, 119.

HE aeternum tibi dapinabo uictum, si uera autumas.

ER. unde id? HE. a me meoque gnato. ER. sponden'tu iſtud?

HE. spondeo.

ER. at ego tuum tibi aduenisse filium, respondeo.

nam hic respondeo sonare uidetur uicissim spondeo. de qua notione silex Lexicon.

R V G O S V S. actiue possum uidetur ab Horatio 1, epift. 18, 105,

Quem Mandela bibit, rugosus frigore pagus,
ubi scholiafest, rugosus, rugosa faciens hominum corpora.

S E C U N D V S. Copiosius hac uoce expositas legimus *partes secundas actionum*, et simpliciter adiectuum, omisso substantiuo dici explicatum. non tamen praetermundus fuisse illi significatus *secundus*, ubi de ipso *actore secundarum partium* collocatur, Horatius 2, sat. 8, 83,

Ridetur fictis rerum, Balatrone secundo;
hic uetus scholiafest Cruquii ita, secundo, hypocritam agente, seu actore secundarum partium.

S I L E N T I V M. Formulam silentium facere, non tantum valere, impetrare silentium, facere, ut alii fileant, praeter Quintilianum Fabro laudatum ostendimus ex Liui 2, 45, Curtio 10, 6, 3, et Phaedro 5, 5, 13, uerum etiam sonare, silentium habere, silere contra Cl. Reizium, in A. E. demonstrauimus ex Quidio Faſtor. 1, 183,

Desierat Ianus, nec longa silentia feci,

Sed terigi uerbis ultima uerba meis.

quae quidem dictio posterior quoniam in Fabro non reperitur
hic addimus Virgilium Aeneid. 1, 734.

tum facta silentia teclis.

Plautus Amphitr. proleg. 15, ita huic facietis fabulae silentium.

XXII

SPECULOR. similiter dicto loco iam probatum dedimus, uerbum *speculator*, non tantum a *specula*, sed et a *speculo* deriuandum esse, propterea quod etiam ualeat, in *speculo intueri*. Seneca Quæst. Nat. I, 16. *speculabatur*, hoc est, in speculo intuebatur, illam libidinem oris sui, spectabat sibi admissos pariter in omnia uiros.

SUBIECTVS. Sic hoc nomen explicatur, ut partim *untergelegt*, partim *unterthänig*, ergeben, uertatur. Aliam ego et a proprio sensu proxime remotam significationem iam addo ex Hirtio Alex. 35, quod facilius Armeniam defendere posset subiectam suo regno, quam Cappadociam longius remotam. quo in loco quum subiectus et longius remotus sibi opponantur, illud reddendum esse nahelegen, angräntzend per se patet.

SUBSCRIBO. admodum notabilis in hoc uerbo desideratur significatus, qui sub imperatoribus Romanis cum primis obtinuit. Suetonius Tiberio c. 32, quum Rhodiorum magistratus, quod litteras publicas sine subscriptione ad se dederant, euocasset, ne uerbo quidem *insectatus* ac tantummodo iussos subscribere remisit, ad quem locum ita commentatur Calaubonus, *quaenam ista subscriptio*, unus me docuit Dio. non enim est nominum, ut putare aliquis possit, sed praeteritionem intelligit clausulae solitae adiici litteris ad principem, qua felicitas illi optaretur. uerba Dionis malim apud Calaubonum, quam hic legi. Itaque ex hoc Suetonii loco intelligimus, et nomen *subscriptione* notare, uotum, quod litteris in fine adiicitur, et uerbum subscribere, uotum addere in calce epistolarum. Eodem sensu habet Lampridius Commodo cap. 13, ipse Commodus in subscribendo tardus et negligens, ita uotibellis una forma multis subscriberet. in epistolis autem plurimis Vale tantum scriberet. Atque hoc forte respexit Horatius I, sat. 10, 92,

I, puer, atque meo eitus hacc subscribe libello.

SUCCUBA. Reuicitur hoc nomine locus Ouidii, et recte reponitur subnuba praeuente Heinso, sed quoniam tantum ex Prudentio *succuba* et quidem masculino genere probatur, producam femininum, ut intelligatur Latinum esse uocabulum. Apuleius Metamorph. 5, p. 87, tunc indignata Venus exclamauit,
Vet

Vel maxime Psychen illam meae formae succubam, mei nominis aemulam, uere diligit. ubi Beroalus in commentario, *Venus succubam formae suae Psychem eleganter appellat, propterea quod ut altera Venus religiosis adorationibus culta fuerat, et uenerationis uicariae partiaro honore honestata.* improprie igitur quodammodo hic sumitur uox succuba, proprie uero idem posuit Apuleius Metamorph. 10, p. 186, et illico haec eadem uxor eius, quae nunc bestiis propter haec ipsa fuerat addita, coepit puellam, uelut aemulam tori succubamque primo suscipi.

S V D O. Non indigna mihi est uisa et construatio et significatio huius uerbi, quae annotetur ex Proprietio 4, 1, 70,

Has meus ad metas sudet oportet equus,

nam hic *sudare ad metas est currere cum sudore ad metas.* quum de cursu non habeatur in Fabro.

S V F F E R O. nullam aliam habet notionem hoc uerbum in Fabro, nisi eam, qua sonat, ertragen. at alio omnino sensu adhibuit Propriet. 3, 20, 21,

Quod superest, sufferte pedes, properate laborem,

Isthmos qua terris arcet utrumque mare.

quid hic *sufferre pedes?* quum poetae sermo sit de itinere per mare Athenas instituendo, et uerba adducta adhortationem ad nautas contineant, orationis series postulare uidetur, ut *sufferre pedes* hoc loco sit idem, quod *uela pandere.* nam *pedes* de uelis dici satis probatum in Fabro hac uoce n. 4. quibus positis, uerbum *sufferre* notabit *sursum ferre, in altum tollere.*

S V P E R I O R. Allata est hac uoce locutio *superior aetas, et exposita, ante acta, die vorige Zeit.* Et tritissima sane haec est huius formulae sententia. Datur tamen alia, nondum, quod sciām, in Lexicis producta, ubi idem est, quod *aetas prouocitor, et non de tempore, sed de hominibus eorumque annis usurpatur.* Cæsar Civil. 2, 5, de Massiliensibus, facile erat ex castris C. Trebonii, atque omnibus superioribus locis prospicere in urbem, ut omnis iuuentus, quae in oppido remanerant, omnesque superioris aetatis cum liberis atque uxoribus, publicisque cufodiis aut ex muro ad coelum manus tenderent, aut tempia Deorum immortalium adirent.

S Y P P O-

SUPPOSITVS. In hac uoce idem significatus addendus, quem nominis *subiectus* paullo ante asseruimus. Sic enim legitur in Propertio I, 22, 9,

Proxima supposito contingens Umbria campo

Me genuit, terris fertilis uberibus.

Vox. Inter uarias, quas efficit vox, locutiones quoque ex Quintilliano affert illa, uocem attollere, die Stimme erheben. Ibi uero iure meritoque adiciendum et indicandum putamus improprium sensum formulae *uocem tollere*, qua utitur Horatius de arte poet. 93,

Interdum tamen et uocem Comoedia tollit,

Iratusque Chremes tumido delitigat ore.

est enim hic *uocem tollit*, interprete scholiaсте Cruquii, grandioribus uerbis utitur.

Vota. Complura dicendi genera cum hoc nomine recensentur, omisso tamen illo, *uota cadunt*, quod hoc diligentius animaduertendum nobis uidetur, quod et bonum sustinet sensum et malum. Sic *uota cadunt*, hoc est, *irrita sunt*, in Propertio I, 17, 4,

Nec mibi Cassiope solito uisura carinam

Ominat, ingrato litore uota cadunt.

Contraria notionē dixit Tibullus 2, 27, 17,

Vota cadunt. uiden' ut trepidantibus aduolet alis,

Flauaque coniugio uincula portet Amor?

ubi *uota cadunt* exponit Broukhusius, *rata sunt*, qui omnino uidendus ad Tibullum I, 7, 91.



Sed plura iam, quam uolueram. TV, VIR CLARISSIME,
hoc spicilegium amoris mei publicum documentum accipies, et
ad mei memoriam redibis, quoties TVAE TIBI rationes Fa-
bri thesaurum intuendi ansam suppeditabunt. Deus uero im-
mortalis Kalendas muneris TVI auspicales TIBI felices, et
omnes conatus ita fortunatos esse iubeat, ut de Vestro Lyceo di-
cant posteri, quod de Isocratis ludo scripsit Cicero de oratore 2,
23. Vale. Dabam Lipsiae pridie Kalendas Ianuarias

A. O. R. M DCC XXXVII.



72 919.

ÖN A 6610




V ① 18

5b.

W 17
C VD 18

Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19	20
Centimetres	2.54	5.08	7.62	10.16	12.70	15.24	17.78	20.32	22.86	25.40	27.94	30.48	33.02	35.56	38.10	40.64	43.18	45.72	48.26	50.80

Farbkarte #13



B.I.G.

16

RIDER. DRESIGHI SCHOL. THOM. CONR. PISTOLA DVERSIONES THESAVRVM COMPLECTENS

QVA
VIRO
ATQVE AMPLISSIMO
DOMINO
ENRICO DRESIGIO
IVM MAGISTRO

MVNIA
TORIS IN LYCEO
CAVIENSI
DEMANDATA

GRATVLATVR.

LIPSIAE
NA LANGENHEMIANA
CIOCCO XXXVIII.